



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De nouitio à spiritu blasphemiae tentato, & in contemplatione crucifixi
liberato, cap. 52

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

quia eadem tristitia ex immissione esset diaboli dō
cens, fluctuantem ocyū ad tranquillitatem perdu-
xit. Tentatione verò sedata, mox adolescentis fa-
cies, non sine assistentium admiratione, est serena-
ta, & permisit se radi. Sicut mihi retulit iā dictus Ab-
bas, ita vultus nouitij subitò fuerat immutatus, ut ni-
gredo maxillarum & tremor labiorum satis ostende-
rent, quid corde concepisset. APOLLONIVS: Ecce
stud est quod iam dixi, quia nouitijs tentatio facilē
veniat, & facilē recedat. CAESARIVS: Quædam ten-
tationes nouitorum tam duræ sunt & tam valida,
ut illas compescere valeant non verba, non exempla,
sed sola potentia atque consolatio diuina.

C A R V T L I I .

NO VITIVS quidam tempore probationis suæ, ex
quadam tentatione diabolica, quam nunquam
ante conuersionem senserat, grauissimè turbabatur.
Erat enim eadem tentatio de incarnatione Verbi,
non quòd de illa malè sentiret, sed diabolus per spi-
ritum blasphemiae feruorem mentis illius nitebatur
extinguere, ut dum de ea dubitaret, tantos pro Chri-
sto subire labores recusaret. Dic quadam, cùm staret
ad Primam in choro nouitorum contra altare, con-
templatus est oculis corporeis imaginem crucifixi in
aëre venire ad se, ac si diceret: Quare dubitas, respice
in me, ego sum ille, qui natus & passus sum pro te. Per
aliquam horam ante faciem eius pendens erat ipsa i-
mago, quam tantùm videre potuit ab umbilico & su-
pra. Interrogatus à me, si sciret quid hoc signaret,
respondit: Dominus mihi contulit gratiam illam, ut
nihil impudicū, & quod lèdere possit verecūdiā mēa,
cogitare possim de illo, & ideo intellexi, quòd tantū
partes corporis sui superiores, nō inferiores, mihi o-
stendere dignatus est. Ab eadē hora ònis illa cessauit
tentatio, quā atè nulla cōfessio, nulla sanare potuit o-
ratio. Et licet iā dicta tentatio cessauerit, nō tamē té-
rator cessauit; quē enim dejicere nō potuit per blas-
phemiam, fugare conatus est per acediā. Nā per plu-
rimos dies, quotiēs ire debebat ad ecclesiā ad horas
cano.

ēānōnicas, venisletq; ad ostium cellæ, sensibiliter, & tam grauiter scapulis diabolus illum depresso, vt cōpelleretur residere & quiescere. Factus monachus, tā fortis & tam feruens est in ordine effectus, vt rādere nesciret, quacumque specie acēdiæ impugnatus.

CAPVT LIII.

ABBA S. Philippus de Ottirburg retulit Abbati nostro de quodam suo nouitio tentationē sati grauem, & sola Dei reuelationē sedatam. Cūm enim idem nonitiu tam grauiter esset rētatus, vt a nullo hominum posset consolari, & firmum cōpisset propositum recedendi, eadem nocte, qua de manē ad seculum redire voluit, tāle somnum vidit: Vīsum est ei, quia staret ante ostiū portæ, de qua duas hinc inde considerauit vias exire; una ex illis vergebatur ad dexteram, altera ad sinistram; vtraquetamen ducebatur in siluam oppositam. Stante nouitio in biuio, cū dubitaret quam illarum eligeret, senem quēdam continuo stare conspexit, cui sic ait: Bone vir si nosti, ostende mihi quæ ex his duabus vijs sit rectior, & ad ambulandum commodior. Ad quod ille respōdit: Ego plenē & bene te expediam. Via hæc, quæ est a dextris, in nemore per breue spatiū spinosa est, inæqualis, lutoſa, & aspera; postea sequitur cāpus amœnissimus, longus, planus, varijsque floribus decoratus. Via vero quæ est a sinistris, in silua quidem commoda est, plana, ſicca, lata, & bene trita, ſatisque deliciosa; ſed non longa, cui campus mox continuatur longus, ſcopulosus, lutoſus, & asperrimus, etiam ipſi viſui horrendus. Ecce totum prædixi tibi, quodcunque volueris elige. Hoc dicto nonitius expergefactus est, non dubitans visionem propter ſe factam, vt pote bene ſuę tentationi congruentem. APOLLONIUS: Vellem ſcire interpretationem huius visionis. CÆSARIUS: Via ad dexteram, vitam signat monasticam & spiritualem; via ad sinistram, vitam ſecularem atque carnalem; silua, præfens vita est, in qua more arborum homines crescunt per ætatem, & ſucciduntur per mortem. Vtraque vita breuis est, ſiue monastica ſiue ſecularis: illa in præ-

O

fenti